

DE
CVLPARVM PRAESTATIO
NIBVS IN CONTRACTIBVS,

EX PRAECEPTIS IVRIS ROMANI, AD SEDES HVIVS

MATERIAE I. 5. §. 2. COMMOD.
ET I. 23. ff. de R. I.

1250

12

1782, 1.

AVCTORITATE ET AVSPICIIS
INCLYTI JCTORVM ORDINIS
P R A E S I D E

IOANNE NICOLAO MOECKERT,

PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQYE DOCTORE, IVRIVM ET
MORALIVM PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO IN ACADEMIA
ERNESTINA, SOCIETATISQVE LATINAЕ, QVAE JENAE
FLORET, MEMBRO HONORARIO,

P R O

OBTINENDIS SVMMIS JVRIVM HONORIBVS
ATQVE PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS

DIE IX. AVGUSTI CICIO C C LXXXII.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

A. C. W I L M A N N S

ADV. ORD. HANNOVER.

R I N T E L I I,
TYPIS EXCVSSIT ANTON. HENR. BOESENDAHL,
ACAD. TYPOGR.

RE

C
S
P

A

DE
CALPARVM PREESTATO
MBS IN CONTRACTIONS
EX PREESTATO VARSIOM, AD SEDES HABIT
MASTERIA F. G. S. COMMEND.
T. I. P. G. R.

ACTORIATATE ET VASILICUS
INCENDI VICTORIAV ordinis
PRÆSIDIB

JOANNÆ NICOLAO MÖCKERT,

HONORABILIS ET ILLARVM UNIVERSITATE DOCTOR, ILLARVM ET
MORTALIA PROLITERATORVM ORDINARIO IN ACADEMIA
TRINITY, SOCIETATIS TRINITATIS AVENIENS
TERRÆ, MEMOR HONORABILIS

P. R. O.

OBSTINATISSIMVS ILLARVM HONORABILIS
ACADEMIE PRIVILEGIIS DOCTORIATIBVS
DE ACADEMIIS CLODCEXIANIS

PATER DEESENDAT

ACADEMIANIS

VULGO HONORABILIS

NIKTAVIA

TURIS EXCERPTI ANTIDOTVM HONORABILIS
ACADEMIE

ILESTRISSIMO AMPLISSIMO QVE
REIPVBLICAE BREMENSIS
SENATVI,

PERILLVSTRIEVS, MAGNIFICIS,

CONSULTISSIMIS, GRAVISSIMIS

CONSVLIBVS,

SYNDICIS,

PATRIBVS CONSCRIPTIS,

AVGVSTISSIMAE RELIGIONIS DECORIBVS,

ALMAE LIBERTATIS DEFENSORIBVS,

LITTERARVM PATRONIS,

EGREGIE FACTORVM FAVTORIBVS.

HOC SVVM, QVALECVNQVE, PIETATIS

S P E C I M E N

DAT. DICAT. DEDICAT.

A V C T O R.

ANCOTOL

DET DICAT DEDICAT

SPECIMEN

NOC SAWW, QAVALECAN-GAL, FETATIS

HERGIEF LECOTRUM FAVATORIAS,

LTLLERARVM PATRONIS,

VIVVE LIBERTATIS DEFENSORIAE

VAGASISSIME RHIGIONES DECORIBAS

BATRIBAS CONSCRIBITIS.

SUNDICIS,
CONSALIBAS

CONSAUTISSIMIS, GRAVASSIMIS
PERIFASTRIAS, MAGNITICIS

REIPUBLICAE ARRUMENSIS
URBIS TRISTIMO VULPISIMOGAE

SBNATAI

VIRI
ILLVSTRISSIMI, MAGNIFICI,
CONSVLTISSIMI, DOCTISSIMI!

Dum fata mea voluere, ut procul a' patriis
Laribus, vitae meae rationem sequerer:
VESTRA celeberrima humanitas; VE-
STRAE ciuitatis inclytæ splendor, amico-
rum denique mirum in modum hortatus, ea
olim gratissima mihi consilia promouerunt,
ut ciuis VESTER, tantarumque VESTRA-

* 2

RVM

VIRI

ILLUSTRISMI MAGNIFICI

CONSULTISSIMI DOCTISSIMI

RVM virtutum admirator, aliquid generi
humano vtile atque salutare agerem.

Quae cum consilia molirer, virium
mearum imbecillitas, testificandaeque VO-
BIS pietatis studium adeo me transuersum
rapuerunt, vt mecum ipse diu luctarer, an
VESTRAE huminitati totum me tra-
dere, an, qualemunque documentum, nisi
VESTRO splendore dignum, mea ta-
men erga VOS pietate certe non prorsus
indignum, offerrem? Quae inter certamina,
has praesentes pagellas conscripsi: cumque
nil reliqui haberem, nisi vt eas, qualesqua-
les, VOBIS traderem; nescio, qua insig-

ni

RVM

s*

ni fiducia mihi persuaserim, fore, ut VESTRA humanitas, vel leuidense istud munuscum ad pietatem dantis potius, quam ad pretii excellentiam relatura sit? Itaque hac audacia confisus, non solum meis primis gratissimisque erga VOS officiis defungi, sed etiam disputatiunculae huic, non minum VESTRORVM splendore, haud parum luminis suffudisse mihi video.

Quod reliquum est, his meis primitiis, in quibus & conficiendis perpoliendisque, temporum meorum angustiis, non multum stilum vertere licuit, aequi bonique consulite meque non prorsus indignum censete, in quem

quem benevolentiam VESTRA M confe-
ratis. Vota pro ciuitatis VESTRAE gloria;
pro VESTRA incolumitate, diutissime
permansura, proque familiarum VE-
STRARVM splendore nuncupo enixissima,
tanquam

SPLENDIDISSIMORVM VESTRORVM
NOMINVM

Scripsi in Musaeo
Hannoveræ ipsiſ
Calend. Quinceti.
CIO CC LXXXII.

deut

cliens, ad vitae ultima
obsequiosissimus

A V C T O R.

DOCTRINA JURIS ROMANI

DE

CULPARVM PRAESTATIOŃIBVS
IN CONTRACTIBVS.

§ I.
PROOEMIVM.

Culparum praestiones jam apud veteres jure-
consultos motus egerunt. Non solum in
formanda doli definitione ^{a)}, quam longe
facillimam nimirum putes, in partes abeunt, sed in ip'a
doctrina ^{b)}, tot legibus interfusa, tantae viris doctissimis
visac sunt ambiguitates scopolique, vt vix, tot exhaustis
lucubrationibus, tot concertis manibus, aliquid certi
promi posse videatur. Jim dudum DONELLUS, vir sane
sagacissimus, huic doctrinæ nodos inesse inextricabiles
testatus est: cui viri doctissimi, LEYSERVVS ^{c)} & STRYKIVS
pater ^{d)}, multu'n sane ponderis addiderunt; quorum
alter tam anxie vulgarem doctrinam, judicis arbitrio in
auxilium vocato, seruandam censet, alter omnibus fere
juris Romani præceptis, quibus culparum praestiones
continentur, sublati, solum aequitatis judicium substi-
tuere, non dubitat.

A

Negan-

Negandum quidem non est, hanc doctrinam nebulae interdum suffundi: sed quid miseris, in tanta legum varietate, quae tot diversaque cogitantes autores habent, longis temporum interuallis scribentes; quae nimia praecipitania a TRIBONIANO caeterisque viris, qui jussu IUSTINIANI imperatoris leges collegerunt, coacceruatae potius, quam electae sunt, non omnia aequa clara atque exquisita ante oculos versari? Etiam si argumento nil tribuamus, quod THOMASIVS ille, superstitionis pestis, suppeditat e): TRIBONIANVM sociosque mandati operis, ex libris theoreticis pariter practicisque veterum jureconsultorum excerpta sua traduxisse: quo factum esse, ut tot dissensibus una traditis, tot terminis ambiguis relictis, totque subtilitatibus intermixtis, ex tam variis legibus harmonia elici nunquam possit: tamen procul dubio patet, tam ipsam doctrinam naturam, quae tot sere fluctuantibus circumstantiis haeret, quot casus existunt, in quibus, ut ajunt, in succum & sanguinem conuerti debet, quam multorum terminorum in legibus obuiorum, ambiguates & latebras, multis dubiis multisque disceptationibus ansam dedisse & nutrimenta reliquissimae. Fortasse ipsa doctissimorum virorum studia aliquid obscuritatis addiderunt: ut fieri solet, cum pro tuendis opinionibus, maxime in re ardua, nimium scrutentur summaque imis misceant. Jam vero vltro citroque ponderatis argumentis, vulgaris illa doctrina non tantopere contemnenda videatur, quam nonnullis persuasum est. Quotquot aliam viam secuti sint, inuenerunt, quibus illiderent. Quo rite perpenso, equidem admonitus, non fugiendum esse puto eorum consilium, quibus antiquiora

tiquiora arrident, quique regiam ingredi, licet nonnunquam faxa inter squaloresque malunt, quam per noua ac deuia, periculorum minime expertes, ferri.

- a) L. I. §. 2. ff. De dol. mal.
- b) THOMAS. De vſu praet. doct. de culp. praest. in contr.
- P. I. §. 21.
- c) Medit. ad ff. sp. 154. m. 1.2.
- d) Vs. mod. §. 12. Commod.
- e) Cit. disp. P. 2. §. 3.

§. II.

DEFINITIO DOLI.

Quomodo dolus, culpa, casus fortuitus definiantur, primum videamus.

SERVIUS dolum machinationem quandam alterius decipiendi cauſsa, cum aliud simulatur & aliud agitur esse, definit. LABEO vero omnem calliditatem, fallaciam, machinationem, ad circumueniendum, fallendum, decipiens alterum adhibitam, dolum dicit. ULPIANVS^{a)} La-beoni suam tesseram adjicere non dubitat. Si dicendum quod res est, Seruiana definitio altera praefantior esse videtur.^{b)} Quid enim est fallere, circumuenire, decipere, nisi simulare aliud, aliud agere? Quod sine dubio NOOTIVM mouit, ut Séruii cauſam ageret ^{b)}, quamuis non defint, qui aduersa caſtra sequantur ^{c)}.

Eadem fere PEDII definitio est ^{a)} aliorumque, quas afferre omnes & recensere, merito superfldeo. Recentiores in pejus mutarunt illam veterum definitionem, dum uno quasi ore dolum propositum laedendi, siue faciūm illicitum, cum proœfisi laedendi perperratum, definire solent ^{c)}. KOCHIUS, vir peritisimus^{f)}, haud melius definit

A 2

dolum

dolum per defectum rectitudinis actionis humanae, quo ad voluntatem vincibilem.

Dolo aliquid machinationis inesse, ipsa vox monere videtur); haecque machinatio in alterius lesionem intenditur. Itaque optimè definiri potest, quod sit *lesio alterius, cum machinatione, sive proposito & calliditate commissa.*

- a) L. I. §. 2. ff. De dol. mal.
- b) PUFFENDORF De culpa P. 2. c. 2. §. 1.
- c) DAN. NETTELBLADT Introduct. in jurispr. §. 336.
- d) L. 7. §. 9 ff. De pact.
- e) HELFELD jurispr. for. §. 293. LAUTERBACH Coll. theor. præt. §. 2. De dol. mal. BOEHM. Introduct. in jus. Dig. §. 13. Commod. VENN. ad I. §. 3. Quib. mod. re contrah. obl.
- f) Inst. jur. crim. lib. I. c 2. §. 12.
- g) Ipsum dō*i* vocabulum Græcae nimis originis est. Δολοί vero Latini in suos usus transtulerunt. Dolon apud eos est pugio sive fīca, qua vtuntur, vel ad vulnera, vel ad inferendas caedes latrones. Secundum SERVΙUM dolen est flagellum, intra cuius virgam latet pugio. Conf. I. 52. §. 1. ff. Ad leg. Aquil. Inharet itaque originēnus vocabulo doli aliquid teſti ac simulati, quo tutius laſio perfici atque patrari possit. PUFFENDORF De culpa P. 2. c. 2. §. 1.

§. III.

DEFINITIO CULPAE.

Culpa (Græcis αἰματηρά) auctoritate legis^{a)} ita definitur: *Culpa est, quod cum a diligente prouideri poterit, non provisum, aut tum denunciatum est, cum periculum evitari non possit.* Haec Mucii definitio non solum properter τὸ diligens nimis indeterminata ac fluctuans est, sed latius etiam patet, quam ipsa rei notio patitur. Neque enim

enim omnia, quae a diligente prouidere possunt, prouideri, aut denunciari debent, sed ea demum, ad quae denuncianda prouidendaque obligationis ciuilis vinculo tenetur. Quae absque alterius jure quæsito omisæ commissæ sunt, in foro ciuili culpæ nequaquam adnumerari possunt^{b)}.

Recentiores vitium illud animaduerterunt. Itaque VINNIO^{c)} culpa est *omne factum, quo nocetur alteri injuria quidem, sed aπροαιρετας, siue absque laedendi proposito.*

a) L. 31. ff. Ad leg. Aquil.

b) VINN. ad I. §. 2. Quib. mod. re contrah. obl.

c) Idem ad I. §. 6. De susp. tut. vel curat.

§. IV.

DEFINITIO CASVS FORTVITI.

Casus fortuitus in legibus dicitur, quod nullum humanum consilium prouidere potest a): cui resisti non potest b): quod caueri non potuit c).

Easdem fere definitiones legum interpretes afferre solent. VINNI^{d)} vero definitio, qua casus fortuitus est *omne id, quod humano captu praeuideri non potest, AVT CVI PRAEVISIO NON POTEST RES STI*, propter verba posteriora a genuino concēpto apertissime aberrat. Nota enim characteristica casus fortuiti est, *non praeuideri id, quod euenit*. Quam primum itaque existentiam eventus futuri, omni dubio remotissimam, praeuidemus, definit esse casus fortuitus, sed est *necessitas fatalis, ineuitabile malum*. Idem erit applicandum ad posteriores definitiones legales, quarum modo mentionem feci.

a) L. 2. §. 7. ff. De adm. rer. ad ciuit. pert.

b) L. 18 pr. Commod.

c) L. 4. C. De peric. tut. vel curat.

d) Ad

A 3



d) Ad I. §. 2. Quib. mod. recontrah. obt. Conf. LAVTERBACH. Coll. theor. pract. §. 42. Commod. BOEHM. Introd. in jus Dig. §. 22. Commod.

§. V.

DE GRADIBVS QVLPAE.

Jus Romanum tres gradus diligentiae, totque op-
positae negligentiae, sive culpae distinguit. Alia *summa*
est *diligentia*, quam qui diligentissimi atque exactissimi
sunt, adhibent. Ejus omisso dicitur *culpa leuissima* a).
Alia *diligentia media* dicitur, quam omnes patresfamilias
communiter diligentes ac frugi in suis negotiis applicant;
cujus neglegētus *culpam leuem* b) continet. Alia denique
diligentia minima appellatur, qua nemo, ne exceptis
quidem negligentissimis atque dissolutissimis supersedere
potest; cuius vero omisso *culpa lata* est c).

a) L. 44. ff. Ad leg. Aquil.

b) L. 32. Depos.

c) L. 223. pr. ff. De V. S. I. 32. Depos. I. 9. §. 2.
De jur. &c faēt. ignor. VINN. ad I. §. 2, I. c. BOEHM. ad
Dig. §. 14. sqq. Commod.

§. VI.

DE DOLO IN SPECIE.

In omnibus contractibus, aut *dolus*, aut *culpa*, aut
casus ipse fortuitus praestans est. De singulis videa-
mus.

Dolus, tanquam propositum laedendi, est actio
prava, quae juribus dominioque priuato vim infert sa-
lutemque publicam euertit, ita ut legi naturali aequa ac
ciuili contraria sit. Constantissima itaque est omnium
legum voluntas, dolo non patrocinari. Dolus ubique
& semper praestatur, nec padum quidem, de dolo in
futurum

A

futurum non praestando, valet ^{a)}: tale enim pactum legibus contra bonos mores esse & ad delinquendum invitare videtur ^{b)}. Sed de dolo praeterito pacisci, non sunt quae obstant leges. Nec enim eadem prohibendi ratio hic subsistere JCtis visum est, idque sine dubio restringit. Dolo commisso reipublicae non tantum interest, quantum singulorum ciuium, qui laesi sunt ^{c)}, ut refarciantur damnum dolo illatum. Persecutioni enim ejus, quod in contrictibus dolo alterius nobis abest, remediis ciuilibus satis prospectum est, quae sine actore vero intendi non possunt. Quo etiam pertinet, pactum, siue de dolo praeterito transactionem, tanquam effectum dominii priuati, urgentissima nisi ex ratione, a legibus nec posse nec infringi solere ^{d)}.

a) L. 17. Commud.

b) L. 1. pr. De dol. mal. I. 23. de R. I. I. 1. §. 7. De pos. I. 27. §. 3-4. De pact.

c) Huc pertinet illud apud SENECAM de clem lib. I. c. 18. Revocari enim praeterita non possunt: futura prohibentur.

d) L. 7. §. 14. I. 27. §. 4. De pact. Jam 10. GOTTL. HEINNECCIVS ad ff. P. 1. §. 479. recte annotauit, doli vocabulum apud Romanos aequae ac Graecos *παρεγνωστικός* fuisse; quae causa est, cur tit. 3. lib. 4. ff. de dolo malo inscriptus sit. *Dolus bonus vero est solertia & prudentia ad finem licitum consequendum adhibita*, de quo prolixius egit vir consultissimus EVERHARDVS OTTO, HELLFELD Jurispr. for. §. 293.

§. VII.

DE CULPA LATa IN SPECIE.

Culpa lata, siue *id factum in re aliena, quod nemo admitteret in re propria* ^{a)}, multis subinde nominibus in legibus occurrit. Dicitur enim *culpa latior* ^{b)}, *gravior* ^{c)}; magna,

magna; crassa; supina; summa & manifesta); per peri-
phrasin culpa dolo proxima^{a)}; dissoluta denique neglig-
entia f.).

Culpa lata acque ac dolus in omnibus contraetibus
praestanda est; non, quia omniem dolis naturam
induit, nam a dolo aperte distinguitur g); sed quia dolis
prope fraudemque accedit^{b)} ideoque omnes ejus
effectus ciuitates secum trahit^{c)}, minime vero criminales^{d)},
nisi judicia quoque criminalia ad interesse priuatum ten-
dant^{e)}. Itaque lata culpa dolo semper aequiparatur,
etiam si particulae taxatiuae y. c ianum, duntaxat, adje-
ctae inueniantur^{f)}.

- a) VENN. ad I. §. 2. Quib. mod. re contrah. obi.
- b) L. 32. Depof.
- c) L. 54. §. 2. De acquir. rer. domin.
- d) L. 2. C. Arb. tut.
- e) L. 4. De magistr. conuend.
- f) L. 226. ff. de V. S. 1 7. §. 2. De adm. fut. 1. 7. §. 1. De
susp. tut. 1. 55. De aedil. edict. 1. 6. De jur. & fact. ignor.
- g) L. 22. §. 3. Ad St. Trebell. 1. 7. Ad leg. Cornel. de sic.
1. 20. C. De neg. gest. 1. 7. C. Arb. tut.
- h) L. 29. pr. Mand. 1. 7. §. 1. De susp. fut.
- i) L. 5. §. 15. Ut in poſſ. leg. 1. 1. §. 5. De O & A. 1. c. §. 2.
Commod. 1. 23. De R. 1. 1. §. vlt. Depof. 1. 18 §. 12.
De leg. 1. 1. §. 1. Si mens. fals. mod. dix. 1. 8. §. 3.
De prec. VENN. ad I. §. 2. c.l.

WERNHER P. 5. obi. 29. n. 5. CLASEN ad C. C. C. art. 125.
not. a. Contrarii tuendi cauſa fine jure prouocatur ad
1. 38. §. 5. ff. De poen. Exprefſe enim dicitur: *Qui
abortionis aut amatorium poculum dant, eti dolo non faciant:
tamen quia MALI EXEMPLI res eft. - - - supplicio afficiuntur.*
Hic itaque ſalut publica, vt vbiuiſ locorum, exceptio-
nem a regula fuaderet, quae in caſibus non exceptis fir-
mat regulam.

1) LAU-

14) LAVTERBACH. Coll. theor. pract. §. 32. Commod. QVI
STORP. Grundsätze des teutschen peinlichen Rechts. I. T^b
§. 36.

a) Vt in l. 23. De R. I. I. I. §. 1. Si mens. fals. mod. dix.
vinn. ad l. §. 2. Quib. mod. re contrah. obl.

§. VIII.

DE CULPA LEVI IN SPECIE.

Culpa leuis est negleḡsus ejus diligentiae (*μετρητικός επιθετικός*), quam homines frigi in suis expediendis rebus adhibere solent ^{a)}). Siue culpa leuis est, si quis non ad eum modum, quem hominum natura desiderat, se se diligentem praefas ^{b)}). Est itaque via quasi media, quam plurimi homines ingredituntur; siue modus, quem omnes homines regulariter in adhibenda diligentia obseruant. Quare, quoties culpa vel *absolue p̄fita*, vel *dolo opposita* in legibus occurrit, toties culpam leuem intelligi ^{c)}), in dubitationis aleam nullo modo vocari potest; nisi substrata mazteria aliud componeret;

a) Arg. I. 32. Depos. I. 72.

b) PET. FABER ad l. 23 ff. de R. I. n. 74.

c) L. I. §. 2. Commod. I. 23. de R. I. I. 25. §. 16. Famil. er-

cise. I. I. §. 38. Depos. I. 72. Pro soc. vinn. ad l. §. 2.

Quib. mod. re contrah. obl.

§. VIII.

DE CULPA LEVI IN ABSTRACTO ET CONCRETO TALL.

Quo accuratius inuestigarent culparum materiam, multi olim JC. BACHOVIVS, VINNIVS, FRANTZKIVS, aliique culpam in abstracto & concreto talem dispertie- runt. Culpa, siue opposita ejus diligentia in abstracto, est notio alicujus diligentiae, formata ex factis eorum, qui diligentes parres familias esse intelliguntur; siue, est diligentia respectu diligentium patrum familias in genere considerata.

rata. *Culpa vero*, siue *aduersa ejus diligentia in concreto*, est *talis diligentia*, *qualis in singulis hominibus obvia est*. Sunt, qui hanc diligentiam in *concreto*, in sola cauſa depositi *praestandam esse contendant*; in omnibus vero aliis *contractibus diligentiam in abstracto*^{a)}. Alli vero, idque plurimi, culpam tantum leuem in *abstracto et concreto* sibi cogitarunt, eamque in *societate*^{b)} et *rerum communione*^{c)} *praestandam praecipiunt*. Neque vero defunt, qui hanc omnino distinctionem, tanquam plane erroneous, rejicant^{d)}, vel generaliter certe aptam esse negent^{e)}. Laudatus doctissimus PVFFENDORF, pro culpa leui in *abstracto*, *talem diligentiam, qualem diligens paterfamilias suis REBUS praefat*, pro culpa leui in *concreto* vero, *qualem IN suis REBUS adhibet*, meliori jure substituendam putat: sed nescio, anne haec *rerum diueritas ad nudas verborum formulas redeat?* (Conf. §. XVIII.)

- a) HENR. COCCEJI Tract. de culpa. p. 1. prop. 9.
 b) §. fin. I. De societ. l. 72. ff. Pro soci.
 c) L. 25. §. 16. Famil. ercise.
 d) HENRI COCC. c. I.
 e) PUFFENDORF. De culpa. P. 2. c. 8. §. 37.

6. 10

DE CULPĂ LEVISSIMA.

Culpa levissima est omissione ejus diligentiae, (a Gracis
haec dicitur μεγαλη, αιχνη, αριθμεσατη, υπερβολλησα επι-
μελεις) quam, qui diligentissimi & exactissimi sunt, adbi-
bent^{a)}. Hinc minimum diligentiae humanae gradum
leges significare putantur, cum diligentiam & custodiad,
vel simpliciter, vel culpae opponant^{b)}.

- a) Ejus mentio fit in l. 44. Ad leg. Aquil.
 b) L. 5. §. 2. ff. Commod. l. 23. de R. I. l. 47. §. 5. De
 leg. l. Vinn. ad l. §. 2. Quib. mod. re contrah. obl. §. XI.

§. XI. homo

DE CASV FORTVITO.

Casus fortuitus (*ἀτυχία*) est *inopinatus eventus*, qui *humano consilio averti*, aut *praeceaueri non potuit*^{a)}. *Damnum etiam fatale dicitur*^{b)}, & *casus major*^{c)}, & *faepissime periculum*^{d)}. Qui *coelitus immittuntur*, ut per *grandinem*, *aestum*, *frigorem*, *vis divina nuncupantur*, a *Græcis θεοί βιτια*. *Casus fortuitus*, vel *merus* esse potest, qui *sua natura & simpliciter* *nunquam in nostra potestate* *positus* est, vel *mixtus*, quem *auertere* *potuissimus*, *dummodo ab initio diligentiam debitam*, i. e. ex *negotii* *natura necessariam*, *adhibuissemus*. *Oritur itaque ex culpa* *praecedente*, *eaque ex caussa imputatur ad effectum* *damni* *inde orti resarcendi*^{e)}. *Casus mere* *talis* *nunquam praestatur*, neque in *judicio bonae fidei*, neque *stricti juris*^{f)}, *nisi quis expresse in se receperit*^{g)}. *Si vero ejusmodi lex* *contractus existit*, *casuum quidem fortitorum* *praestatio* *non omnino generalis* est, *sed ad eos tamen pertinet*, qui *faepius accidere solent*, *itaque ab eo*, qui *eorum* *praestationem* *in se recipit*, *tam praeuideri* *poterant*, quam *ferri* *decebant*^{h)}. *Qui vero sic dicti casus soliti, insoliti* & *insolitissimi* *nominari* *vbiique possint*, *singularum* *rerum* *situs*, *conditio*, *caeteraque omnes* *circumstantiae* *satis* *docebunt* *judicem*. *Casus quoque fortuitus* *praestatur*, *si quis in mora versatur*ⁱ⁾. *Civiliter denique pro casu* *habetur* *omnis* *diligentiae omissione*, *quae in praesenti ca- su*, *legibus* *haud statuentibus*, *exigi* *nequit*^{k)}.

^{a)} L. 2. §. 7. De adm. rer. ad. ciuit. pert. l. 18. pr. Commod.
BOEHM. Ad dig. §. 22. Commod.

^{b)} L. 12. §. 3. Pro soc.

^{c)} L. 1. §. 4. De O. & A.

^{d)} L. 10. §. 1. Commod. 1. 9. §. 3. Locat.

- c) L. 5. §. 4. Commod. I. 11. §. 1. & 4. Locat. conduct.
HELFELD Jurispr. forens. §. 326.
- f) VINN. ad I. §. 2. Quib. mod. re contrah. obl.
- g) L. 5. §. 10. Commod. I. 23. De R. I.
- h) ANDR. GAIL. Pract. obs. lib. 2. obs. 23. i. H. BOEHMER,
Exercit. ad π. tom. 3. exerc. 22. §. 6. B. CARPOV. Juris-
prud. for. p. 2. const. 26. def. 8. STRUBEN Rechtl. Beda-
3. Th. 46tes Bed. Alia sententia sedet viro doctissimo
SAM. de COCCEJO in Jure controv. qu. 19. Commod.
nullo vero praxeos assensu.
- i) L. 23. & 82. De V. O. LATTERBACH Coll. theor. pract.
§. 17. De usur. & fruct. Recte HEINECCIVS annotat,
hic non tam casum quam culpam, scilicet mōræ,
praestari. Vid. ad ff. §. 115. Commod.
- k) BOEHM. Ad dig. §. 22. Commod.

§. XII.

COMPARATIO DOCTRINAÉ RÓMANAE CVM PRINCIPIS JURIS NATVRÆ.

Diligentiae esse gradus, non solum humanae na-
ture ratio, sed ipsa etiam quotidiana experientia vsus
que abunde docet. Egregie definit PFFENDORF ²⁾ dilig-
entiam per conatum secundum finem agendi, quatenus effi-
cacia se exserit; negligētiā (αμελεία; ηαθυία) vero
per defectum conatus secundum finem agendi. Facultas
secundum finem agendi, mediorum supponit cognitio-
nen, quibus finis obtineri potest. Haec mediorum cogni-
tio est operatio intellectus, ita ut, quo praestantior intelle-
ctus, eo plura media ad finem consequendum perspecta ha-
beantur. Porro, quo plura media applicari possunt,
eo major reatus, itaque imputatio quoque esse debet.
Hinc apparet, non omnes homines aequē diligentes esse,
nec ad unum eundemque diligentiae gradum obligari
posse. Nemo enim a rustico eam diligentiam postulabit,
quam

quam ab homine cognitionibus rerum praecclare imbuto.

Nonnullas animi facultates cum brutis communes habemus, ut facultatem percipiendi per organa sensoria, imaginationem, appetitum sensitivum & auersationem, immo rationis quoddam analogum, scilicet casuum similium expectationem. Has omnes in uniusversum homines adhibent, ita ut carum usus rectissime diligenter minima appellari possit. Quae cum ita sint, ejus defectus esse debet, non intelligere id, quod omnes intelligunt^b). Sed hanc summam simplicitatem viriumque animi neglectum in paucis admodum animaduertimus. Maxima pars secundum facultates agit, quibus homo bruto praestantior est: quamuis non omnes pari vi atque praestantia, ut suam quisque experientiam testem habebit.

Si homines generatim, unoque quasi complexu, spectaueris, plurimos medianam quandam viam ingredi animaduertes, ita ut nec ad ima prouersus delabantur, nec summas quasque animi vires virtutesque exerceant. Illud in legibus^c) aptissime exprimitur, ne ad eum modum, quem hominum natura desiderat, diligentem esse: quod alio vocabulo est, in culpa lata versari. Jam vero ad eum modum, quem humanae naturae indoles ferare solet, diligentem esse, siue ea diligentia vti, quae a plurimis hominibus in administranda re familiari adhiberi solet, diligentia media est ejusque neglectus, culpa leuis. Praestantiori deinde modo intellectum ac rationem applicare, praeclari certe ingenii est, justissimoque titulo summae diligentiae laudem meretur; ita ut ea labi, ad culparum leuissimam merito pertineat. Quae ipsa juris naturae principia sunt, quibus nituntur leges, de culparum praestationibus exponentes.

- a) De culpa P. I. c. 4. §. 2. & 4.
- b) Secundum jus naturale omnis defectus actionum humanarum ex intellectu aequo ac voluntate, tam faciendo, quam omittendo oriens, quo alter injury laeditur, culpa est & damni resarcendi obligationem parit. Si vero laedendi propositum concurret, dolus adest. Larigita enim est natura utramque facultatem, non, ut aliquot, sed ut omnes animi nervos intenderemus, id est, ut diligentissimi in curandis negotiis efficiemus & quam fieri potest diligentissime scrutaremur, quid faciendum sit? Sed jus ciuale ab hoc naturali rigore aliquantum recessit & Praetor aequitati, siue humanae fragilitati consilens, hic sua quoque pomoeria protulit. Scilicet rationem habens status nostri praesentis atque corruptelae, quae haud parum intellectum nostrum ac voluntatem impedire, quo minus omnem suam insitam vim ac excellentiam exserat, ad naturam negotiorum ciuilium & ad modulum respexit, quem plurimi homines servare debent. Conf. HENR. COCCÆI Collat. contra STRUV. Collat. 2. §. 1. seqq. SAM. de COCCÆI Jus controv. quaest. 10. Commod.
- c) L. 213. §. 2. l. 223. ff. de V.S.
- d) L. 32. Depos.

§. XIII.

DE TRIPARTITA CULPAE DISTINCTIONE.

Tripartita culpa distinguit secundum doctrinam vulgarem, ad enucleandas omnes culparum praestationes, quidquid alii objecerint a), sufficit. Cum enim verba sunt viri celeberrimi i. h. BOEHMERI b), in moralibus non ad punctum, ut in mathematicis omnia certa mensura & quantitate determinari possint, hinc ratio postulat, ut summum & infimum gradum & inter has intermedium assunamus. Errant vero qui putant, in legibus semper fere diligentiam ejusque oppositum, negligentiam, separatim

ratim a culpa & tanquam specie n ei oppositam proferri
solere. Lege enim , §. 2. in fin. ff. Commod. diligen-
tiae vocabulum nil significare potest, praeter culpam
leuissimam. Etenim non solum, tanquam maius, addi-
tur culpae, quae hic culpa leuis est, sed etiam ipsa ratio
exprimitur, sola nempe commodantis utilitas, quo scilicet
cau (§. XXIII.) culpa leuissima praestatur. Idem valet
de l. 23. de R. I. Apertissime vero continetur in l. 47.
§. 5. de leg. 1. Hic expresse nominatur *culpa dolo proximi-*
na, siue culpa lata, tum *leuis & diligentia* denique, siue
culpa leuissima. Idem probandum foret ex reliquis le-
gibus, nisi omnes recensere idem esset, ac nodum in
scirpo quaerere. Fortasse lingua nostra vernacula, qua
negligentia (*Nachlässigkeit*), tanquam species generi suo,
culpae, (*Schuld*) inest, fecellit virum alias sagacissimum,
dico HENR. COCOEJVMQ. audip ab sommor corp. mut.

Divisiones inutiles maxime fugiendas sunt, cum
praeter inania verba nil suppeditent, quo memoriam
reiuē vsum juvent. Diligentia est mediiorum adhibitio,
ad certum consequendum finem idoneā. Cujus qui-
dem adhibitionis gradus esse debere, quis est, quem
lateat? Summa, siue studiosissima mediorum adhibitio,
diligentia est, qua nulla praestantior, quam leges breui-
tatis studio & κατέξοχη diligentiam vocant ejusque defe-
ctum siue oppositum, culpam leuissimam, minime vero
negligentiam. Haec enim vox non synonymice in legi-
bus pro culpa leuissima ponitur, sed culpam leuem in-
digitat e, sed simul materiae ratio habenda est. Sic
etiam negligentia magna nonnunquam culpa lata est d:
vnde prono quasi alio fluit, negligentiam non efficere
pecularem culpae speciem.

Ne-

Nequē vero tres diligentiae gradus dispescere & multiplicare, praeter nonas difficultates parere quidquam potest. Circumstantiae enim, quibus singuli casus suam quasi indolem induunt, tam vericolores sunt leuissimisque vicis studinibus ita q̄ se inueniunt distant, ut tot innumeris opus esset distinctionibus, si omnia rerum discrimina aqua lance ponderare velles, quōd ipsi casus existunt. In tanta circumstantiarum varietate, tanquam in pelago phari, culparum distinctiones, de quibus agimus, collocauntur, vt a syrtibus scopulisque caueamus. Hic vitaīdi periculi modus tantae utilitatis praestantiae que est, vt a doctissimis saepe viris adhibeatūr. Neque multum dispari ratione philosophi ideas in claras, completas & adaequatas distinguere solent: quamvis secundum quantitatēm claritudinis & perfectionis, tot fere sunt, quot homines, de quibus praedicantur, existunt.

a) Quām gregem ducit HENRI COCEJVS in tract. de culp. praeſt. disp. 1. ſect. 2. prop. 1. Prouocat e.g. ad §. fin. I. ſociet. I. 47. §. pen. leg. 1. l. 5. §. 2. & §. vlt. Commod. I. 23. de R. I. in quibus omnibus diligentia & negligētia ſunt voces in oppolito ejus culpae acqūpollentes, quae in contractu ſubstrato praeſtari debet. (Conf. ipſe ſph.)

b) Exercit. ad π. tom. 3 exerc. 49. §. 11.
L. 1. §. 5. ff. De O. & A. §. 3. I. Quib. mod. re contrah. obl.

c) Conf. §. 3. I. c. I. l. 1. §. fin. ff. Depos. caet.

§. XIV.

DE DIFFICULTATIBVS IPSIVS DOCTRINÆ.

Si principiis rationibusque jamjam in medium prolati ſemper incedere licet, doctrina de culparum praeſtationibus nunquam tot viros doctrina egregios vexare potuifet. Sed tot verborum scopuli & indeterminatae

notiones, aliae aliis superstructae, huic doctrinae nomen
difficillimae non sine merito tribuerunt. Multi jam
olim viri medicinam his difficultibus asserre studentes,
varias meditati expertique sunt vias. Modo tribus cul-
parum gradibus nouas addiderunt, modo paucioribus
omnes materie iustebras atque lacunas haurire conati
sunt. Quae NICOLAVS BVRGVNDVS ^{a)} argute innouauit;
ZASIVS ^{b)} aliquae infeliciter excogitarunt; certamini
STRUVIVM inter COCEJVMQ[ue] orta, notiora sunt quam
quae notissima. Quos quidem omnes in eo secessisse
existimo, quod fugacitate lui ingenii nondum dicta scruta-
rani, quam veteroral conciliare, nouisque argumentis
stabilire maluerint. Plurimi quidem spem omnem ole-
umque perdiderunt, ex tanta legum farragine confe-
sum erui posse: mihi tamen, etiam si difficultates hujus
doctrinae non diffitear, potius videatur, assistere iis, qui
bus plurimae eaque clarissimae leges a sententiatur, quam
aqua turbidas tyrois ores reddere & sopita jurgia, ob-
torto quasi collo, in foro rapere; non, ut judex subleue-
tur, sed ut errabundus nesciat, quo pedem vertat.

Oblitis missisque itaque nonnullorum letorum tam
yeterum, quam recentiorum disputationibus, quos ia-
uisit iusta sectandi pruritus ^{c)}, ad ridicula interdum ra-
puit, observationes quasdam annectere e re erit, quibus
sequentes infra regulae magis determinari videntur.

a) De peric. & culp. c. 1. n. 6. lqq.

b) Sing. respons. lib. 1. c. 2. n. 4.

c) Praeclarum exemplum sicut l. 1. pr. Ad leg. Aquil.
Verba ita sonant: Item MELA scribit. si, cum pila quidam
luderent, vehementius quis pila percussa in tonsoris manus
eam deficerit & sic serui, quem tonsor radebat, gula sit praec-
cisa adjecto cultello, in quocunque eorum culpa sit, eum legē
ONT (b)

Aquilia teneri: PROCULVS in tonsore esse culpam. Et sane, si ibi tondebat, ubi ex consuetudine ludetur, vel ubi transitus frequens erat, est quod ei imputetur: quamuis nec illud male dicatur, si in loco periculoſo sellam habenti se quis commiserit, ipsum de queri debere. Sic erat ingenium antiquissimae philosophiae, ut sectaretur subtiliora ratiocinata.

§. XV.

OBSERVATIONES QVAEDAM DE NEXV PRINCPIA INTER JVRIS NATVRALIS AC CIVILIS.

Prima juris naturalis praecepta: Neminem laede: Suum cuique tribue: Quod vis tibi fieri & alteri facias & vice versa, quibus sine expressis legibus, secundum singularum rerum circumstantias, culparum praestationes determinari debent^{a)}, in doctrina etiam Romana, ut infra regulae testabuntur, quamvis alio vestitu, resurgent. Sic dolum, siue laedendi propositum, leges Romanæ nunquam tolerarunt; immo culpam, in quam proxime dolii suspicio cadere potest, in judicio ciuili dolo aequipararunt (§. VI.): diligentiam omnem, ad sumimam vsque, expresse ac tacite promissam, praestandam esse praecipiunt (§ XIX.) moram denique, negligencia commissam, tanquam ipsum dolum, plectuntur (§. XI.)

Citra haec expressa juris Romani enuncia: a, iudex etiam, maxime in circumstantiarum perplexitate, ad personas agentium & praesumtiones juris respicere debet. Leges enim praesumunt id, quod plurimum sit, siue quod major hominum pars agit b). Neque ius Romanum in regula scrupulosam inquisitionem exigit, sed scientiam eo modo aestimat, ut neque negligencia crassa aut nimia securitas satis expedita sit, neque delatoria curiositas exigatur c).

a) THO-

- a) THOMAS. Disp. Iarua leg. Aquil. detract. §. 2.
 b) LAUTERBACH Coll. theor. pract. §. 47. De probat. &
 praesumt.
 c) L. 3. §. 1. & l. 6. ff. De jur. & fact. ignor.

§. XVI.

AN LEX AQVILIA AD DOCTRINAM DE CULPARVM
 PRAESTATIONIBVS IN CONTRACTIBVS SPECTET?

Cum varie de ea quaestione ambigatur, quaedam super ea monita ad scopum praesentem omnino pertinere videntur.

Damna ex jure Romano vel mediante actione ex contractu, cuius occasione contingunt, repeti possunt, vel, ea deficiente, actione legis Aquiliae. Quamuis vero sint, qui consilium suppeditent, frusta actione ex contractu ad damni refusionem mota, ad legem Aquiliam configere, & ex lege 44. ad culpam levissimam agere; ita ut sibi persuadeant, hanc, tanquam pinguiorem, illa minus fauorabili, nequaquam excludi: nihilominus falsissima certe haeresis est, lege Aquilia non subsidiarium, sed ordinarium juris remedium proponi, neque agendo ex contractu legis Aquiliae actionem infringi tolliue. Quid vero, quaeſo, absurdius cogitatu, quam omnem diligentiam, quae ex natura contractus oriebatur, praefitile, ergo omni culpa vacare & deinde nouo iudicio idque duriori saepius culpare levissimae damnari?

Quae tunc esset juris Romani fatuitas a)?

Etiamsi itaque actioni ex lege Aquilia cum tantis viris non omnem fori vsum negemus b): certe tamen cum LAUTERBACHIO aliisque viris doctissimis nos statuere oportet, culpam levissimam, ex juris analogia, ad ea folium negotia pertinere, in quibus, ex principiis infra

deducendis, culpa leuissima in obligatione est ^{c)} eamque extra actionem ex contractu locum tantum inuenire posse ^{d)}.

Quae cum ita sint, doctrina nostra de culparum praestationibus lege Aquilia neque infringitur, neque tollitur.

a) THOMAS. cit. disp. §. 20.

b) THOMAS. cit. disp. §. 50. STRYK. V. M. §. 2. & 14. Ad leg. Aquil. Ejusd. tr. de act. inuestig. sect. 1. memb. 10. §. 28. SCHILTER. Exercit. ad π ad leg. Aquil. th. 60. sqq.

c) LATERBACH. Coll. theor. pract. §. 60. Ad leg. Aquil. MOLIN. De iust. & jur. tract. 2. d. 697. n. 8.

d) BOEHN. ad Dig. §. 2. Ad leg. Aquil. STRUBEN rechtl. Bedenken 3. Th. 6. tes. Bed.

§. XVII.

AN DISTINCTIONIS, IN CONTRACTUS BONAE FIDEI ET STRICTI JURIS, RATIO HABENDA SIT?

Contractus juris Romani in stricti juris & bonae fidei diuidi, inter omnes constat. Haec distinctio apud Romanos quidem maximi erat momenti; an vero hodie quidquam valeat & imprimis, an in h.c. de qua tractamus doctrina, aliquid mutet, paucis adhuc discutere, operac primum esse videtur. Veteres Romani, qui rationibus politicis duelli, jurisprudentiam suam formularum solemnitatibus in mancipium quasi tradidere, tam anxie eas colebant, ut nullum negotium ratum pensumque haberent, nisi verbis solennibus esset conceptum, easque adeo mordicus tenebant, ut rationes aequitatis juris gentium prorsus fere negligearent. Misere deinde euerca republika, formularum ista tyrannis fere evanuit & distinctio in contractus bonae fidei & stricti juris, quae lenitati sane Praetoriae originem suam debet, quo turias veteri

veteri juris rigori eluderent, multum ponderis amisit. Hodie vero nullum v'um practicum habet^{a)} , cum Germani, homines cordatissimi, in omnibus suis negotiis, VTI INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, semper egerunt, neque vnquam rationes interpretandi, ex aequitate profectas, respuerunt.

Vir quidem doctissimus PVFFENDORF officia boni & aequi & jus perfectum sedulo distinguit, illaque in contradictibus tantum bona fidei praestari vult. Sequentem ipse tradit regulam: *In contractibus stricti juris culpa viri boni officiis contraria, quae ex aequo & bono duntaxat venit, non praestatur, nisi quidem nominativum ea de re conuenerit b).* Regulae vero, ait, *quae ex ratione boni communis fluunt, sed determinatae satis, in primis ratione aliorum utique non sunt, bonum & aequum absolvunt* c). Quae verborum obscuritas! Quam fluctuans boni aequique judicium! Quid in quo'is casu ex ratione boni communis fluat, nec ratione aliorum in primis satis determinatum sit, vix centesimus quisque iudex sciet, vnde illae lacrymae! cum neminem contra facile lateat, quomodo in praefenti negotio paterfamilias frugi egisset? quaeque agendi ratio patri-familias diligentissimi fuisse? Facti eiusuis accurata probeque explorata informatio, culpae examen longe sane facilius reddet.

Neque vero leges ipsae, ad quas auctor clarissimus prouocat, discrimen illud, quoad culparum praestationes, extra omnia dubitationis aleam ponunt. In verbis enim l.23. ff. de R.I. *Hoc enim BONAE FIDEI JUDICIO contrarium est, & iudicium pleonastice intelligi debet;* ergo nil aliud vult, quam *bonae fidei contrarium est*, vt expresse l.61. §.3. De furt. confirmat.

- a) HEINECCIVS ad ff. p. i. §. 365. SCHILTER. Exercit. ad τ.
exerc. 30. th. 101.
b) De culpa p. 4. c. 2. §. 17.
c) C. I. p. i. c. 3. §. 9.

§. XVIII.

REGVLAE DE PRAESTATIONIBVS CVLPARVM GENE-
RALIORES.

REGVLA PRIMA.

Quibus omnibus rite praemissis, regulas nostras
de culparum praestationibus, trademus. Quod vt com-
modius dilucidiusque fieri possit, primum regulas non-
nullas generaliores praemittere & tum specialiores sub-
nectere liceat.

*In regula culpa leuis, sive diligentia media, quam pa-
tresfamilias, pro modo consueto diligentes, adhibere solent,
praestatur & haec tam in abstracto, quam in concreto ae-
stimari debet. Verba VINNII hic pertinentia haec sunt:
In abstracto magis consideratur, quam in concreto, ratione
habita ad diligentiam talem, qualen communiter bonus &
diligens patersfamilias suis rebus praestare consuevit, non
qualem unus e multis, sed qualem magna pars patrumfami-
lias. Vtramque itaque admittit, quamvis eam, quae
abstrahendo formatur, praferat; quod nimurum hac rite
explorata, altera, quae personae re vera inest, facilius ae-
que ac perspicacius suae naturae congrua determinari
ac aestimari potest. Et ita se res habet. Cum enim ju-
dicium diligentiae mediae, in omnibus fere hominibus
aliud esse soleat, pro cuiusvis scilicet indole ac moribus,
modo accrescens, modo decrescens: nunquam judices
conuenirent, nisi tam agendi modum personae subjectae
inuestigarent, quam cum diligentia aliorum patrumfami-
lias*

dias diligentium compararent, id est, diligentiam tam in abstracto, quam concreto considerarent. Hinc sequitur, *essentialia* diligentiae mediae expendi debere, nam *accidentalia*, quae in hoc vel illo tantum deprehenduntur, in infinitum variant. E. g. An creditor pignoratius A. vestimenta, peilibus instructa, pignorique ei posita, tam diligenter curet, vt quotidie ea inspiciat, lustret & executiat, ne tineas & blattas recipient; vt inter linteas abscondat, coreoque odorifero misceat: quae omnia & plura B. in talibus pignoribus non omittit, neminem impeditre debet, quo minus illum qui ea in optimo suo armario, cum reliquis suis vestimentis, aequo pretiosis seruat, sed vix quouis mense lustrat, communiter diligentem praediceat. Itaque hoc examen acquitati & prudentiae judicis committi debet, praeceptum illud juris, neque crassam negligentiam pati, neque delatoriam curiositatem postulare, religiose obseruatui. Ita ex his tricis facilius fese expediet.

§. XIX.

REGVLA SECVNDA.

Regula modo proposita, culpam leuem praefstari, plures habet exceptions. Inter quas hoc quidem loco potissimum haec referri debet, nam de reliquis in regulis specialioribus infra dicendi locus erit: *Qui in suis negotiis se diligentissimum gerit, quoties in alienis versatur, nunquam negligentior esse deber: non enim salua fide minorem iis, quam suis rebus, diligentiam praefabit a).* Inde fieri potest, vt diligentia summa, non quidem media & minima sit, hoc enim primum illud contradictionis principium non patitur, sed pro diligentia media & minima praec-

praestanda sit; tunc scilicet, si diligentissimus ex negotio
contracto ad diligentiam tantum medium, vel minimam
tenetur. Et sic corrigendus HEN. COCCLEJS. b).

a) L. 32. ff. Depoſ.

b) Cit. disp. 1. prop. 6.

§. XX.

REGVLA TERTIA.

Sed ut diligentia summa ubi que praestari debet, si
quis in suis propriis negotiis ea vtitur, sic culpa etiam
tata a praefatione damni inde orti nunquam liberat, licet quis
suas proprias res negligentissime tractet. Lata enim culpa
in foro ciuiti omnes doli effectus sortitur, id est, ad o-
mnem praestationem ejus quod interest obligat. Propria
enim dissoluta negligentia neminem excusare potest, qui
aliena negotia curat. Nec ea debite curat, qui non intelligit,
quod omnes intelligunt a); vel non prospicit, curat, cauet,
quod omnes, qui modo sensu communi praediti sunt, prouide-
nt & intelligunt b).

a) L. 213. §. 2. & l. 223. pr. ff. de V. S.

b) VINN. ad l. §. 2. Quib. mod. re contrah. obl.

§. XXI.

REGVLA QVARTA.

Voces illae generaliores, culpa, diligentia, custodia,
negligentia, idque genus aliae, quae saepius in legibus occur-
runt, secundum subjectam materiam explicari debent a), &
clarioribus legibus vtendum est ad illustrandas obscuriores.
Haec interpretandi principia adeo aperta sunt atque re-
cepta, vt nil addi debeat, valdeque contra mirandum
sit, quod grauiſſimi viri toties ea obliuiscantur.
Quod

Quod vero tot in scribendi cogitandique ratione diuersissimi legum au^tores, non aequae claris vocibus vni sunt, eo facilius iis condonandum est, quod in suis libris, qui injuria temporum intercepti sunt, obscuriora fortasse explicauerint. Plurimis enim scriptoribus, vel nimio brevitatis amore proprium scribendi genus esse solet, quod ex fragmentis, quae nobis supersunt, non penitus inuestigari potest.

^a LAVTERBACH. Coll. theor. pract. §. 34. sqq. BOEHM. Ad jus dig. §. 19. Commod.

REGVLAE SPECIALIORES DE PRAESTATIONE CULPARVM.
REGVLA PRIMA.

Regulis generalioribus in praecedentibus § phis expositis, ad special ores nunc progredimur, vt colophonem disputationi nostrae addidisse videamur.

^b Si ex negotio vterque contrahens utilitatem percipit, vterque diligentiam medium, eaque omissa, culpan^m leuem praefat^a.)

Improbatur quidem hanc regulam THOMASIVS. Quid enim, inquit, utilitas vtriusque vel unius ex contrahentibus ad augendos, vel minuendos gradus culpa^e, vel diligentiae, aut custodiae b? Multum respondeo. Quis vero ibit inficias, regulam nostram optimis suis niti rationibus eamque, vel jure Romano citra habito, adoptari merituram fore? Nemo aequus aliquantulum naturae humanae estimator contendet, pacientem, nisi in causa artis, vel expressa conuentione, vel etiam cum diligentissimo pa^eto inito, summam alterius pacientis diligentiam sibi representare multoque minus tali inconsuetissima cogitatione ad eam praefandam obligare potuisse. Quidquid enim

D

enim vulgaris humanae diligentiae modum excedit, neque praesumti, neque in obligationem deduci potest; nisi singulari juris titulo, de quo infra differendi locus sese offeret. Cum vtraque parte utilitate percepta, finis negotii, mutuum scilicet commodum, existat, improbae sane auaritiae esset, vel ea inihiare, quae consuetus diligentiae modus largiri non potest: quamuis jam ipsa majoris utilitatis perceptio plerumque tam acutus stimulus esse soleat, ut diligentiae humanae nerois intendat potius, quam incidat. Iam vero cum verum sit, utilitates in trutinam suspendi non posse, aquo rem equidem regulam nescio, quam vtrumque pacientem eam diligentiam, quae naturae humanae inesse solet, fibi invicem prestare debere. E. g. Qui aedes locat, insulse cogitaret, conductorem, caeteris paribus, diligentiam diligentissimi atque exactissimi cuiusque adhibitum fore. Quamvis vero cogitauerit, ultra culpam leuem certe non tenetur.

Secundum hanc regulam leges ipsae culpam leuem praestari praecipiunt in *locato*^{c)}; *emto*^{d)}; *pignore*^{e)} *societate*^{f)}; *dote*^{g)}; *rerum communione*; *rerum permutatione*^{h)}; *tutela*ⁱ⁾; *legatis*, ratione legatarii & fideicommissis^{k)}; *haeres* enim alias ad diligentiam summam tenetur^{l)}. Convenientissimum mihi videtur, ut regulis a me traditis suas statim exceptiones adjiciam, tanquam earum vestigia legens.

Duae vero in legibus hujus regulae exceptions occurunt.

Prima in L. I. §. I. ff. Si mens. fals. mod. dix. continetur, qua is, qui in metiendo falsum modum dixerit, ad culpam latam praestandam obligatur. Cum vero

Prae-

Praetor de falsa mensura ita ediceret, actionemque ciuilem adhuc deficientem, proponeret, nemo metiendi artem publice profitebatnr; sed nullo dato honorario, amicitiae humanitatisue gratia praestabatur ^m). Hodie vero haec ars non solum multo majores profectus cepit, sed etiam publice ab artis peritis, per modum locationis conductionis exercetur, quare etiam hodie mensorem de culpa leui teneri jo. OETTINGER ⁿ) non dubitat. Immo persuasum mihi est, mensorem, qui publice suam artem profitetur, culpae levissimae damnari posse. Itaque hujus artis mutata ratio postulat, vt lex laudata ad eum casum restringatur, si hanc artem publice non profitens, amicitiae humanitatisque studio, non stipulata mercede, praestiterit. Tunc amicitiae aliquid condonandum est.

Secunda exceptio est ex l. 3. §. 1. Naut. caup. stabul. Nauta, caupo, stabularius, hodieque postarum magistri ac aurigae, propter recepta, ad culpam leuissimam tenentur. Praetor majori hujus editi rigore, utilitatis fane publicae rationem habuit. Coercuit improbitatem hujus generis hominum, testante VLPIANO ^o), quae propter hominum colluuiem, delicias suas ibi quaerentem, summa erat; cum honestiores jure hospitiū vterentur, nec publicas naues, sed proprias sibi trajiciendo conducerent ^p). Quamuis vero hodie diversiorum, cauponarum & publicarum nauium longe honestior ratio sit; tamen mercaturaे omniumque iter facientium maxime interest, vt huic generi hominum, ad nimiam incuriam prono, maxima diligentia, circa res eorum custodiae traditas, incumbat ^q).

a) L. 5. §. 2. Commod. l. 108. §. 12. De leg. I. HELFELD
jurispr. fori. §. 324.

- b) THOMAS. De culp. praest. c. i. §. 41. Praeflare culpam figurata locutio est, pro praeflare damnum, quod culpa contingit.
 VENN. ad l. §. 2. in fin. Quib. mod. re contrah. obl.
 L. 23. de R. l. l. 60. §. 7. Locat. conduct.
 L. 13. §. 16. De act. emt. l. 68. pr. De contrah. emt.
 L. 14. 25. De pign. act. l. 5. 8. C. d. 1.
 L. 72. l. 52. § 2. 3. Pro soc. § vlt. l. de societ.
 L. 17. De jur. dot. l. 18. §. 1. l. 25. §. 1. l. 66. pr. l. 67. Sol. matrim. dos quemadmodum.

Applicatio regulae generalioris §. XX. propositae, hic clarissime ostendi potest. Quamuis enim leges in rebus dotatibus eandem diligentiam, ac in propriis, adhibendam jubeant l. 17. De jur. dot. summae tamen mariti negligentiae nequaquam patrocinantur; quod etiam ex analogia legum totque insignibus dotis priuilegiis aperi-
 tissime dimanat. Itaque maritus negligentissimus nihilominus ad diligentiam patrisfamilias frugi obligatus est. Doete, pro more suo, hanc sententiam tuetur LAVTER-
 BACH. Coll. theor. praet. §. 36. De jur. dot. his verbis vtens:
Sic dici posset, quod maritus in dote, & tutor praeflent culpam in abstracto, quando hoc doli & pupillo utile, & in concreto, si hoc virtus pupilo & doli. Conf. MEV. P. 2. dec. 1. o. n. 3.
 Rei dotalis interitu essus indistincte ad maritum, tanquam stante matrimonio dominum ciuilem, pertinere videtur. Sed distinguendum, an quantitatem in dotem acceperit, an speciem: an species aestirata sit, an inaequata: an aestirata denique sit taxationis, an venditionis causa? In quantitate, qua maritus debitor generis fit, causum procul dubio subire tenetur, item in dote venditionis gratia taxata; non vero in dote inaequata, vel taxationis causa pretio adjecto, LAVTERBACH.

Coll. theor. praet. §. 31. De jur. dot.

b) L. 2. Rer. permut.

i) L. 7. C. Arb. tut.

Jure XII. tabularum tutor nisi ad dolum praestandum obstrictus non erat. Quarum verba haec fere

fere fuisse videntur: SI TUTOR DOLO MALO GERAT,
 VITUPERATO: QUANDOQUE FINITA TUTELA ESCIT, FVR
 TVM DVLIONE LVITO. Crescente deinde re Romana in
 immanem molem latiusque simul serpentibus vitiis at
 que corruptela, maxime reipublicae, pupillorum bonis
 consulere, intererat. Quae sane ratio fuit, conjuncta
 cum altera, quod scilicet tutor domini loco habendus sit,
 L. 27. De adm. & peric. tut. ideoque culpam diligentis
 patrisfamilias praestare debeat, cur hanc diligentiam
 medium in administrandis pupilli rebus applicare de
 beat, quamvis nulla utilitas, sed vel grauissimae inde
 molestiae in eum redundant. Nihilominus haec cul
 pae leuis praestatio justo durior in tutorem foret, e. g.
 cum pro pecuniis pupilli, quas ad percipiendas vſuras
 quamprimum mutuo dare debet, praedia compararet,
 non bonis quidem eleſtis conditionibus, sed neque for
 dide neque gratoſe, L. 7. §. 2. De adm. tut. vel cum no
 mina paterna, initio ſuceptae tutelae idonea, tempore ge
 ſtae minus idonea eſſe cooperint. L. 2. C. Arb. tut. quod
 illic non vnicē penes tutorem eſt, quibus conditionibus
 emere velit, utiſusque sane pupillo minori quidem vtili
 tate, sed majori facultatum ſecuritate praedia poſſidere,
 quam elocatis ſortibus, duriflma amittendi pericula incur
 rere: hic vero mitius tractandi ſunt tutores, qui in suis pro
 priis negotiis negl gentiſſimi, in pupilli nominibus exi
 gendis non statim m. jorem curam adhibuerunt, imprimis
 cum idoneitas, ſue nominum ſecuritas aleae pleniflma
 res ſit, & diligentiflmm ſaepius fallere ſoleat. In his
 ſimilibusque caſibus, de quibus citatae leges intelligendae
 ſunt, ſola tutorum culpa lata coercetur. Alias culpam le
 uem praeftant. Conf. BRUNNEMANN, ad C. Arb. tut. CVJAC.
 obf. libr. 7. c. 8. LAVTERBACH Coll theor. praet. §. 33.
 De adm. tut. & qui aliter ſentit. CARPOV. Jurispr. for.
 p. 2. conf. 11. def. 25.

Tandem si testator tutorem a reddendis rationibus
 immunem, ſue ἀνελογιστον declarauit, niſi de dolo

D 3

non

non respondet. Legibus vero magis conuenit illa sententia, istum dolum, siue id, quod intuitu hujus dolii e patrimonio pupillari abest, non legati nomine in fraudem legis prohibitiuae tutori relinquiri posse. SCHILTER. Exercit. ad π. exere. 37. th. 167.

k) L. 108. §. 12. De leg. 1.

l) L. 47. §. 5. d. l. LAVTERBACH. Coll. theor. pract. §. 40. Commod. VINY. Ad I. §. 2. Quib. mod. re contrah. obl. m) LAVTERBACH. Coll. theor. pract. §. 4. Si mens. fals. mod. dix.

Secundum jus Romanum contra agrimensorum, machinarium, architectorum, stabularium seu calculatorem, actione locati conducti agi non poterat, quippe qui non pro mercede suas artes liberales exercebant, sed beneficii instar; vnde id, quod iis dabatur, non mercedis, sed praefrantiori, scilicet honorarii nomine, veniebat. Conueniendi erant actione in factum ex edicto, si mensor falso modum dixerit. Hodie non anxie curamus nomina actionum; nec dubitandum est, quin mensor pro mercede suas operas praestet itaque ex locato conducto, non ad culpam modo leuem, sed etiam propter peritiam artis, quam profitetur, ad culpam levissimam teneatur,

n) Pract. de limit. c. 16.

o) L. 3. §. 1. Naut. caup. stabul.

p) 10. GOTTL. HEINCC. Antiquit. ad I. §. 5. De obl. quae quasi ex contr. nasc.

q) STRVK V. M. ad tit. naut caup. stabul. §. 1. SAM. de coc-
CEJ. Jus controv. ad tit. Naut. caup. qu. I. 2. 3. 4.

§ XXIII.

REGULA SPECIALIOR SECUNDA.

In negotiis, ex quibus alter omnem utilitatem, alter omne onus arque incommodum sentit; ille ad culpam levissimam, hic ad latam tenetur.

Aequitati nimirum consentaneum est, ut is, ad quem omnis negotii utilitas reddit, summam diligentiam adhi-

adhibere compellatur, ne is, qui, non dicam vtilitatem, sed grauissimas plerumque molestias habet, immo danina incurrat. Quod quidem praeceptum jam quotidianae vitae mos omnibus, quibus aequitas aliquantulum cordi est, ita sese commendauit, vt sponte praestent *sid* quod interest, si quid damni in alterum ceciderit. Sic praefatur culpa leuissima in *commodato* a) lata vero in *deposito* b)

Exceptio est in I. 8. § 3. & 6. De precario, qua precario accipiens ad solam culpam latam tenetur. Non solum ratio illa, quae vulgo afferri solet, quia scilicet precarium, pro lubitu concedentis, reuocabile sit, ita vt accipiens, propter hanc temporis incertitudinem, qua vti ea re possit, vel plane nullam, vel exiguum certe tantum percepturus sit vtilitatem, hujus exceptionis ratio esse poterat, sed etiam solum Praetorum principium, sutorum edictorum atque interdictorum lenitate vlo, quo licuerit modo, veterem juris rigorem leniendic)

- a) L. 5. §. 2 Commod.
- b) L. 1. §. 7. 16. 20. Depos. I. 3. §. 1. Naut. caup. stabul. I. 108. §. 12. De leg. i. I. 1. §. 5. De O. & A. HELLFELD Jurispr. for. §. 324. C. vnic. x. Commod.
- c) LAVTERBACH. Coll. theor. praet. §. 17. De prec. ERVNEMANN Ad C. De prec.

§. XXIV.

REGVLA SPECIALIOR TERTIA

*Qui negotio se offert vel immo obrudit, praefat cul-
pam leuissimam* a).

Qua

Qua regula nil aequitati conuenientius excogitari potest. Qui enim negotio sese offert, quin immo obtrudit, non solum ipso facto diligentiam summa, quae in aliis inueniri potuerit, de se jaicit promittitque, sed etiam diligentissimum quemque excludit ita ut sola causa damni, minori sua diligentia orti, existat sibi que imputet, quod arcendo excludendoque alios diligentiores & peritiores, nimium sibi sisus sit.

Sic in deposito quidem, secundum regulam §phi praecedenti, culpam latam praestari dixi, deposito vero se offerentis diligentia summa esse debet, eaque neglecta culpa tenetur leuissima b).

a) L. 13. § 3. ff. De furt. I. 1. § 35 Depos. I. 36. de R. I.

b) L. 1. § 35. Depos. PVFFENDORF. De culpa p. 2. c. 7. §. 4.

§. XXV.

REGULA SPECIALIOR QVARTA.

Qui negotium gerendum suscepit, quod artem & peritiam postulat, sine hanc artem publice profiteatur, sine non, ad culpam levissimam praestandam obligatus est.

Quilibet, artem profitens, in ea exercenda perissimus aequi ac diligentissimus esse debet, dum perissimum tque diligentissimum quemuis excludit, itaque tac e ad diligentiam peritiāque summā sese obligavit. Hinc eam non praestare, legibus culpae leuissimae poenam mereri non sine jure videtur a).

a) L. 1. §. 4. ff. De O. & &. I. 25. §. 7. Locat. I. 8. §. 1.
Ad leg. Aquil. I. 27. §. 29. ff. c. l. HEN. COCEJVS. Disp.
3. th. 18.

§ XXVI.

inclusor be omittit illius §. XXVI. DE COLLISIONE REGULARVM INTER SE. His enucleatis regulis, totam doctrinam de culpa rum praestationibus in contrachibus, absolui posse, nullus dubitor. Maxima quidem collisio inter eas haerere & alteram altera radicitus tollere videtur, ita ut debellandum prius sit, quanam alteri cedat, quanam illius hujus iactatae doctrinae usus esse possit: nullum tamen dubium faciliori vnam negotio remoueri posse, ex sequentibus apparebit.

Locatio conducio, vel quidquid negotii, in quo pro certa mercede certa ars promittitur, in eo quidem conueniunt, ut utraque pars utilitate inde percipiat, itaque ex principio §. phi. XXII culpa utrinque leuis in obligatione esse videatur, sed cum nemo, vel obtusioris ingenii dubitabit, majorem esse debere diligentiam ejus, qui negotio sese offerendo, vel obtrudendo, vel artem denique profitendo, alios se diligentiores atque peritos repellit, quam qui alterius precibus adactus, negotium non artificiose tractandum, gerit: hinc mutuam utilitatem quasi oblitterari regulamque primam subsequentibus ampliari, luce meridiana clarius est.

Sed vix responsione dignum foret, si quis proferret, in omnibus rebus opus esse aliqua arte itaque argumentum ab arte petitum, egregie frustrari. Licet enim vox artis relativa sit, ita ut hic ad artem referat, in quo alteri vix ratione humana indigere videatur: tamen, si non deflectimus ab usu loquendi quotidiano, cui ars est, quidquid ultra communem rationem doctrinam & peritiam singularem requirat, ea sane objectione vti, idem est, ac nubem pro Junone amplecti.

LVXX 2

E

Quod

Quod de regula prima valet, simili ratione ad regulam secundam §phi XXIII. applicandum est; ita ut, qui negotio se offert, vel obtrudit, vel arte⁹ denique exercet, culpae levissimae reus fiat, etiamsi nullam utilitatem perceperit. Et quānūis duriusculum videatur, cum, qui negotio gerendo vltro, idque fortasse sine vlla mērcede, se obtulit, cum neminem alium praesto esse sciret^{a)}, propter solam praeſumptionem ac fictionem, ac si diligenter & peritiorem exclusisset; aut qui se obtrudit, probe intelligentem, imperitum, vel crumenicidam, vel pharmacopolam circumforaneum, aliumue Sardum venalem, sese obtulisse, ut nummis alterum emungat, hujus officiorum praefandorum studii, tanquam criminis, poenam luere debere: tamē ejusmodi casus rariores sunt, quam quod regulam infringe^c, aut tollere possint. Jam uero cum iusta interpretatio legisque & facti inuestigatio, ab officio judicis nullo modo abhorreat^{b)}, in primis vero, cum in culparum judicio aequitas ex singularibus circumstantiis prosiliens, non plane protrudi debeat: (§ XXVIII.) haec, quaeque alia sint dubia, non tam regulas nostras protelant, quam theſin confirmant, non ad omnes casuum circumstantias regulas accommodari posse, sed prudentiae ac judicis aequitati in rariori casu, suam omnino tesseram competere.

^{a)} Rarius vero liquido constabit, nullum alium suscipiendo negotio affuisse. Saepissime locum intuerentur verba l. 17. §. 3. Commod. Suscepisset fortassis alius, si is non cocepisset.

^{b)} L. 17. De pec. constit.

§. XXVII.

QVID JVRE GERMANICO STATVENDVM SIT DE CVLPARVM
PRAESTATIONIBVS?

Sed latereni omnino lavassem, si in sententiam THOMASI pedibus esset eundum, statuentis, jus Germanicum omnem doctrinam juris Romani de culparum praestationibus, neque vñquam novisse, neque in sua forা introduxita). Quod ad primum attinet, assentiendum quidem viro doctissimo est, priusquam jus Romanum, tanquam Pythiae ex tripode jussu, decantatam istam juris patrii *μεταπορΦωσιν* perfecerat, Germanos, homines cordatissimos, *apud quos boni mores plus valebant*, quam alibi bonae leges ^{b)}, quas, licet apud Romanos in πελλων καιμελων αχθων accreuiſſent, saepius nihilominus audax scelus perfringebat, accuratore in gradus culpae inquisitionem ignorasse, quamuis, cum TACITVS expressis verbis dicitc), *leuioribus etiam delictis*, pro modo id est, pro natura criminis, dolii culpaeue, sive pro corpore delicti; *poenam fuisse*, vix dubitandum foret, quin in civilibus quoque cauſis, pro modo, sive pro circumstantiis, quibus culparum gradus excuti debent, suo ingenio lites diremerint. Inuesto demum jure Romano, non omnibus comitibus, scabialis & scutelis peregrini juris apices & verborum aucupia arridebant, sed, pro more suo, de simplici & plano judicabant, eo magis juris Romani infesti, quod vernaculae linguae paupertas ne patiebatur quidem, vt Romanas subtilitates patrio sermone concinne reddidissent. Quare non mirandum est, quod speculatores, Saxonius pariter ac Suevius, principia juris Romani de culparum praestationibus non adoptauerint: vt pote qui jus patrium, limpido suo fonte

haustum, non Romano suco illitum seruare voluerunt^{d)}; quamuis nihilominus Germanicam interdum lanam Romano purpure tinxerint^{e)}.

Quidquid vero ambobus speculatoribus de culpa praestanda visum fuerit; tamen, cum eorum collectio-
num vel nulla, vel per exigua certe auctoritas hic illic
vigeat^{f)}; ius vero Romanum totum Germani in subsi-
ditum receperint^{g)}, nisi legibus recentioribus consuetu-
dibusque probatis ipsi derogatum esse constet, vel dis-
crepans rerum publicarum ratio ejus applicationem pro-
hibuerit; lis profecto secundum eos danda erit, qui do-
ctrinam juris Romani de culparum praefestationibus, tan-
quam in foro receptam, tuentur. Jam ipsa glossa Ger-
manica speculi Saxonici, quam THOMASIVS excerptis,
visum legum Romanarum nimirum testatur: quid enim
verbis: *Aber nach den legibz. hält man dieses anders; ali-
ud contineatur^{h)}*? Itaque hic bonus Homerus dormi-
tasse videtur.

Quibus omnibus vltro citroqe ponderatis argu-
mentis, additisque tot virorum doctrinorum suffragiis,
visus hujus doctrinae difficultoris satis stabilitus esse vide-
tur; quamuis in ejus regulis concinnandis, tritum illud
non absolum sit: *Quot capita tot sensus.*

a) THOMAS. De culp. praefat. C. 2. §. 16. sqq.

b) TACITVS De situ mor. & pop. Germ. c. 19.

c) C. I. c. 12.

d) HEINEC. Hist. jur. Germ. c. 3. §. 73.

e) Cit. loc. §. 75. & 82.

f) HELFELD. Hist. jur. Germ. c. 4. sect. 1. §. 24. & sect. 2.

§. 35.

g) DE

g) DE SELCHOW Elem. jur. Germ. §. 70. & 180.

h) Ipsa glossa haec est: Stirbt ein Pferd: Bey diesen soll du wissen, wer ein Vieh oder ander Thier bey sich hat — so es stirbt, so wird es ledig, — es wäre ihn denn geliehen oder versetzt worden; denn sonst müßte er es nach unsfern Rechten ohne einige Rede wieder geben, oder nach seinen Werth gelten, (aber nach den legibus hält man dieses anders) oder ob es durch sein Schuld stirbe oder verwahrloset würde. Spec. Sax. Ad lib. 3. art. 10.

Equis est, qui non sincere fateatur, ab aequitate abhorrente, commodatarium & creditorem pignoratum, vel casum rei commodatae oppignoratae prae-stare debere, rejecta omni distinctione, vtrum culpa & mora praecesserit, nec ne? Apertissime regulæ nostræ supra expositæ, interpretationi glossæ palmarum præripiunt. Sed cur verbis non parcam, cum hodie vel imperitissimus quisque judex, coego quasi impetu glossam istam sequi & tanquam ad jus Germanicum prouocans, nullam culparum discrimen agnoscere, erubesceret?

§. XXVIII.

C O N C L V S I O.

Superioribus §phis doctrinam juris Romani, quæ exponit de culparum præstationibus, pro scopo nostro, tam luculenter exposuisse videmur, vt quilibet judicaturus sit, an præstet antiquiora vestigia premere, an nouitatis illecebris indulgere & judicem, vel omnibus solutum regulis, sine fido Agathe, fluctibus permittere, vel inter ruinas detinere, vt, quo se vertat, nesciat.

In tanta legum diuersitate, quibus præcepta de culparum præstationibus latent; quarum auctores diuerse nimirum cogitarunt; diuerse locuti sunt; quorum deinde integra scripta liuor temporum nobis abstulit, ni-

si antinomias, obscuritates certe irrepere potuisse, jam supra monui. Mihi quidem doctrinae nostrae satis commendationis esse videtur, quod aequitati congruat, legibusque conciliandis non aliena sit. Praemittendum quidem est examen circumstantiarum, ut eruatur, quae-nam regula applicanda sit? sed nulla lex cogitari potest, cui tale examen non praemittendum esset: legem enim applicare, est monstrare conuenientiam legis cum facto, quod quidem sine exploratione circumstantiarum nullo modo fieri potest. Itaque, licet aduersa tuentes dubiis adhuc aduersus hanc tractatam doctrinam surgere posse, facile largiamur: tamen ejus assensu aequitati, judici & litigantibus consuli, itaque non faucibus, sed offendiculis incurri, mihi quidem certius est quam quod certissimum.

T A N T V M !



COROL-



COROLLARIA.

I.

*I*cus atheus sacra Themidos inquinat utque
saluti publicae consulatur, ocyus citius propellen-
dus est.

II.

*N*on omnis autochir delirat, dum mortem sibi
consciscit.

III.

*E*x definitione spiritus non necessario sequitur, ut
omnibus plane partibus careat.

IV.

*A*bortus partus recentioris facilior est, quam partus
maturioris.

V.

*S*exagenarius liberis operam dare potest ideoque ma-
trimonium valide inire.

VI.

VI.

Facultas de bonis post mortem disponendi, mere juris
civilis est, jure naturali prorsus exulans.

VII.

Sine studio veteris philosophiae ICtus in multis inter-
pretandis legibus haerebit.

VIII.

Litterae humaniores ad juris quoque practicum per-
tincent.

IX.

Lex male definitur: Voluntas superioris obligans
inferiorem.

III.

ad quicquid voluntatis non voluntate voluntatis est
ad hanc voluntatem voluntatis voluntatis voluntatis



voluntas voluntatis voluntatis voluntatis voluntatis
voluntas voluntatis voluntatis voluntatis voluntatis

V


nam impedit voluntas voluntatis voluntatis voluntatis
voluntas voluntatis voluntatis voluntatis voluntatis

IV

(x225 7030)

B.I.G.

Farbkarte #13



DE
CVLPARVM PRAESTATIO
NIBVS IN CONTRACTIBVS,

EX PRAECEPTIS IVRIS ROMANI, AD SEDES HVIVS
MATERIAE I. 5. §. 2. COMMOD.
ET I. 23. ff. de r. l.

1250
12

1782, 1.

AVCTORITATE ET AVSPICII
INCLYTI JCTORVM ORDINIS

P R A E S I D E

IOANNE NICOLAO MOECKERT,

PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQYE DOCTORE, IVRIVM ET
MORALIVM PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO IN ACADEMIA
ERNESTINA, SOCIETATISQVE LATINAЕ, QVAE JENAE
FLORET, MEMBRO HONORARIO.

P R O

OBTINENDIS SVMMIS JVRIVM HONORIBVS
ATQVE PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS

DIE IX. AVGUSTI CIO IO CC LXXXII.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

A. C. W I L M A N N S

ADV. ORD. HANNOVER.

R I N T E L I I,
TYPIS EXCVSSIT ANTON. HENR. BOESENDAHL,
ACAD. TYPOGR.